



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XI. De bonis ecclesiasticis continuatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



C A P. XI.

DE BONIS ECCLESIASTICIS
CONTINUATIO.

I.

INDE a sæculo IX. præter oblationes voluntarias & patrimonium Ecclesiarum ¹ nova bonorum Ecclesiasticorum species occurrit, decimæ videlicet, quæ eo tempore instar *tributi* exigi cœperunt. Antehac Christiani de decimis & fructuum primitiis æque ac de ceteris eleemosynis in pauperes conferendis movebantur, & singulorum pudori relinquebatur, vellentne dare, an non dare, sic ut parem rationem haberent cum oblationibus quotidianis ². Exeunte sæculo VI. quum frigeret hoc officium ³, Episcopi in negligentes excommunicationis pœnam sanxerunt ⁴. Quæ ⁵ exactiones tamen in oriente inde a JUSTINIANI temporibus prohibita leguntur ⁵.

denique
3. decimæ.

in oriente
prohibita.

- 1) *Const. apost.* 2. c. 25. 2) *Cass. coll.* 21. c. 5, 6, 7.
- 3) AUGUST. in *Pf.* 146. n 17.
- 4) *Marisc. II.* c. 5. an. 685. *Cabilon. sub Carolo M.* c. 1. an. 813.
- 5) *PHOT. Nomoc. tit.* 6. c. 1.

II. POPULI caritate sæculo IX. magis frigescente, pristinum censurarum rigorem auxerunt pœnæ a principibus adjecta ¹. Fortassis illa bonorum Ecclesiasticorum dissipatio ansam dedit incrustando juri, quod ex lege divina colorari posse videbatur. Bella enim civilia & Normannorum excursiones re-

in occidente
imperantur.

gnum Francorum tum misere lacerabant. Interim non sine maximis fluctibus jus decimarum per septemtrionem introductum est, parumque abfuit, quin Poloni L. annis post, quam ad Christum conversi erant, hujus rei causa fidem dimitterent². Thuringian. 1373. Moguntino archiepiscopo negarunt decimas, non nisi per vim exigendas³. S. Canutus, Danorum rex, subditos ad decimas solvendas coacturus, rebellionem suscitavit, in qua interiit⁴. Et Frisia etiamnum decimas ignorat.

1) *5. Capitul. c. 46.* 2) DUGLOSSUS *an. 1022.*

3) LAMBERT. *Schaffnab. an. 1073. hist. eccl. l. 61. n. 18. l. 63. n. 73.*

4) SAXO *Gramm. l. 11. p. 194.*

quia juris
divini esse
cre-
duntur;

III. SUNT, qui decimas *juris divini* esse censent¹, omnemque censuum & tributorum exactionem, decimarum solutionem, nec deducta cultura & semente, præcedere volunt². Quum enim Deo deberi videantur in signum dominii universalis, cunctis debitis humanis præferuntur. Unde porro sequitur, nullam terram his exemptam, & laicos, decimarum possessores, usurpatores esse sacrilegos³. Ex eodem fonte manarunt decimæ personales seu industriales, ex arte factis, omnique honesto lucro solvendæ, ne quis immunitus esset⁴.

1) ZYPÆUS *jur. pontif. l. 3. decim. n. 10.*

2) C. 33. X. *de decim.* 3) C. 19. *eod.*

4) C. 20. X. *de decim.* C. 28. *eod.*

quod ne-
gatur.

IV. THOMAS tamen Aquinas¹, & doctissimi Theologi decimas viderunt non ef-

se juris divini, nisi quatenus ad sustentationem ministrorum Ecclesiae sunt necessariae. Lex enim Mosaica in moralibus solum obligat, obligavitque omnes ante, quam scriberetur, quippe cordibus hominum inscripta. Ad carimoniam autem & ad politiam Hebraeorum referendum est, quod sacerdotibus & Levitis, nulla hereditatis portione mactatis, a ceteris tribus decima reddituum pars erat solvenda. Si igitur Christiani aliunde clericis prospicerent, hoc onere supersedere possent. Praeterea si in his legem veterem sectari vellemus, Ecclesiae nec immobilia, nec clerici patrimonia habere possent. Quare Graeci ac ceteri per Orientem Christiani *decimarum* exactiones numquam admiserunt. Nihilominus hodie nos consuetudine DCCC. annorum & constitutione humana, exemplo legis divinae positivae innixa, ad decimas tenemur².

1) C. 2. q. 89.

2) Concil. Trid. sess. 25. Ref. c. 12.

V. INTEREA temporis bona ecclesiastica pedetentim discerpta sunt & in particulas illas abierunt, quas *beneficia* adpellamus. Monasteria semper propria bona habuere, quorum, ob exemptionem, nulla umquam Episcopo ratio reddita. Circa saeculum X. *mensa canonicorum* separari coepit a *mensa Episcopi*, & canonici ipsi, prout longius a communione recesserunt, sua bona separatim possederunt: quum tamen in his plurima veteris communionis vestigia observentur. Parochis autem ruralibus Episcopi vel decimas territorii per-

Reditus
partiti
originem
dedere

misere, vel decimas sibi servantes, salaria aut alios redditus assignarunt¹.

1) C. 29. X. de decim.

benefi-
ciis.

VI. PARTITIONES istæ, pro temporum & locorum diversitate diversæ, particulatim indicari non possunt. Id generatim constat, eo denique deventum esse, ut singuli officiales Ecclesiarum separatos redditus nanciscerentur, de quibus nemini ratio reddenda. Hujusmodi redditus, officio ecclesiastico junctus, *beneficium* adpellatur, quoniam Episcopi olim clericis, qui vitam in officio ecclesiastico exigunt, nonnumquam portionem quandam assignarunt, qua fruerentur, quæve ab ipsorum obitu rediret ad Ecclesiam. Quale quid in præmiis militum Romanorum observatum, quæ *beneficia* vocantur, a quibus nonnulli *feudorum* nostrorum origines derivant. Quidquid hujus sit, *beneficiorum* ecclesiasticorum exempla jam sæculo VI. occurrunt¹, & jam XII. *beneficii* vocabulum sensu hodierno acceptum².

1) C. 16. q. 1. c. 61. 2) Concil. Agath. c. 22. r. 4. Concil. Hist. eccl. l. 31. n. 94. l. 32. n. 1.

Clerici si-
ne bene-
ficiis vi-
vunt ex
4. hono-
rariis re-
tributio-
nibus.

VII. PARTITIO illa non fuit tam æqualis, ut non plures semper clerici essent quam beneficia, præsertim quum multi ordinarentur *sine titulo*. Hi igitur vel ex oblationibus quotidianis, quæ adhuc vigeant, vel ex præmiis, pro functionibus diversis præstitis, vivere. Equidem Concil. Lateran. sub Alexandro III. habitum horribilis simoniæ damnavit, qui pro clericis introducendis, pro

sepulturis & exsequiis mortuorum, pro benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid exigunt¹. Quod autem sponte offertur, accipere non prohibuit. Distinguendam ergo videbatur inter *pacta & exactiones coactas* & inter *retributiones voluntarias*, quæ præstito demum officio offerebantur & accipi poterunt, modo ministri sincerum animum habeant, præmiaque illa non pretium sacramentorum ac rerum spiritualium, sed vitæ humanæ necessaria subsidia reputent².

1) C. 9. X. de simon.

2) S. THOM. 2. 2. q. 100. art. 2. 3.

VIII. RETRIBUTIONES istæ ad ultimum in consuetudinem abierunt, ab Ecclesia adprobatam. Sed Albigenses, presbyterorum & clericorum hostes jurati, calumniandi ansam inde arripuerunt, & plures catholici, Albigensium veneno infecti, obtentu veterum canonum, retributiones consuetas clericis denegarunt. Hinc concilium Lateranense sub Innocentio III. habitum *exactiones quidem prohibuit, sed pias consuetudines observandas præcepit, statuendo, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta: Episcopi tamen locorum, veritate cognita, comescant, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare*¹.

ex lege
penden-
dis,

1) C. 42. X. de simon.


IX. HOC jure posthac viximus, statutis nostris confirmato¹. In quibusdam dicecesibus visitatum est catastro, secundum quod hæ retributiones, si de his litigeretur, exigantur.

etiam in
Francia

tur. Parochi civitatum, quippe decimis destituti, vix quidquam certi habent, quo semet ac collaboratores presbyteros exhibeant, si has retributiones amputaveris.

1) *Bles. art. 51. Melodun. art. 27.*

X. HODIERNO jure igitur quatuor sunt bonorum ecclesiasticorum species: *oblaciones* prorsus liberae; *fundi* aliaque immobilia; *decimae*; *retributiones* fortuitae, sed *exigibiles*. De immobilibus autem & decimis est, quod seorsim exhibebimus.



C A P. XII.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM
ALIENATIONE ET
ACQUISITIONE.

I.

Immobi-
lia

ECCLESIA bona immobilia nec libere acquirere, nec libere alienare potest. Deo enim consecrata, in neminis proprietate sunt, & qui in iis praeter praescriptum canonum versantur, *sacrilegium* committunt¹. Principio quum satis perspecta esset probitas Episcoporum, & servos manumittere, & vasa sacra, redimendorum captivorum causa, distrahere, & redditus ministris Ecclesiae assignare, & monasteria condere potuerunt². Quibus quum nonnulli abuterentur, res ad concilia delata est, e quibus prodire canones, quibus Episcopis, aliisque bonorum ecclesiasticorum administratoribus, omnis alienatio interdicitur,